MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80262-13

AUTHOR:

SCHROHL, OTTO

TITLE:

DE ERYXIA QUI FERTUR PLATONIS

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1901

Master Negative #

91-80262-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schrohl, Otto, 1876-
De Eryxia qui fertur Platonis; dissertatio inauguralis quam...scripsit Otto Schrohl... Gottingae, typis L. Hoferi, 1901.
43 p. 21 cm.

Thesis, Göttingen, 1900.

377217

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 9/17/91 INITIALS RK
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Patois

DE ERYXIA
QVI FERTVR PLATONIS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
CONSENSV ET AVCTORITATE
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

OTTO SCHROHL
POMERANUS.

GOTTINGÆ.
TYPIS L. HOFERI.
MCMI.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Georgius Kaibel.

Examen rigorosum habitum est a. d. VIII. Kal. Sext.
a. MCM.

Hugoni Lemcke
pietatis ergo.

Caput I.

Prooemium.

Legimus apud Diog. L. III, 62: *νοθεύονται δὲ τῶν διαλόγων* (sc. *Πλάτωνος*) *ὁμολογουμένως Μίδων ἢ Ἱππότροφος Ἐρυξίας ἢ Ἐρασίστρατος Ἀλκυὼν ἀκέφαλοι η*[1]) *Σίσυφος Ἀξίοχος Φαίακες Δημοδόκος Χελιδὼν Ἑβδόμη Ἐπιμενίδης.* constabat igitur iam antiquitus inter omnes homines doctos Eryxiam non a Platone conscriptum esse. nam quod Stobaeus Eryxiam nonnunquam (flor. 92, 16. 17. 94, 21. 97, 33. 34) tam quam Platonis citavit, nihil probat nisi Stobaeum in corpore Platonis dialogorum eum invenisse. sed putaverit quispiam eum Aeschinis Socratici opus esse; in Suida enim s. v. *Αἰσχίνης* haec verba habemus: *διάλογοι δ᾽ αὐτοῦ Μιλτιάδης Καλλίας Ῥίνων Ἀσπασία Ἀξίοχος Τηλαύγης Ἀλκιβιάδης καὶ οἱ καλούμενοι ἀκέφαλοι Φαίδων Πολύαινος Δράκων Ἐρυξίας περὶ ἀρετῆς Ἐρασίστρατος σκυτικοί.* quae verba non recte tradita esse iam Hermannus[2]) et Usenerus[3]) intellexerunt. ille enim ex Diogenis loco supra allato collegit Eryxiam et Erasistratum duo unius dialogi nomina esse et eius quidem qui hodie in Platonis dialogis exstet. Usenerus

---

1) cum haec verba corrupta esse appareat, Hermannus Gesch. u. Syst. der Platon. Philos. p. 579 n. 154 codicem Vindobonensem secutus arbitratur in littera η inesse numerum septenarium. fortasse η littera errore scribae inlata omnino delenda est.

2) l. c. p. 582 n. 163.

3) apud Brinkmannum: quaestionum de dialogis Platoni falso adscriptis specimen. Diss. Bonn. 1891. p. 7. n. 1.

autem sagaciter intellexit Phaedonem Polyaenum non esse titulos dialogorum sed auctores. si enim leges Diog. L. II, 105, videbis quaedam scripta in dubium venisse utrum Phaedoni an Polyaeno attribuenda essent. itaque in Suidae loco haec insunt: *Ἐρυξίας ἢ Ἐρασίστρατος σκυτικοί, οἱ δὲ Φαίδωνος ἢ Πολυαίνου.* solus igitur inter Aeschinis dialogos Eryxiam enumerat Suidas, qui praesertim cum plura testimonia inter se commisceat, fide nulla dignus est. ergo in propatulo est id quod Hermannus (disputatio de Aeschinis Socratici reliquiis. Acad. Gott. 1850) demonstravit, Aeschinis solum septem genuinos dialogos fuisse et eos quidem quos memorat Diog. L. II, 62 64, Miltiadem Calliam Axiochum Aspasiam Alcibiadem Telaugem Rhinonem, quorum fragmenta Hermannus collegit. de vero autem Eryxiae auctore quamquam neque Diogenes L. neque Suidas quidquam nos docet, tamen propter Suidam factum est, ut illi tres dialogi qui Axiochus Eryxias de virtute inscribuntur, saepius sub Aeschinis nomine ederentur.

quid sit quare Eryxias Aeschini adscriptus sit, cognoscimus ex scholio ad Aristophanis Avium versum 821: *Αἰσχίνης· καὶ οὗτος πένης θρυπτόμενος καὶ αὐτὸς ἐπὶ πλούτωι καὶ λέγων ἑαυτὸν πλούσιον.* (cf. Vesp. v. 323. 456. 1243. Av. 821, ubi idem Aeschines Lysaniae filius ab Aristophane irridetur.) ab hoc scholio pendent Hesychius[1]) s. v. *σεσέλλισαι* Photius s. v. *σεσέλλισαι* Suidas s. v. *σελλίζειν*. Aeschinem egentem fuisse tradunt etiam Seneca de benef. I, 8. Diog. L. II, 34. 61. 62. praeterea scimus Aeschinem in Callia et Telauge dialogis de divitiis disseruisse (cf. Hermann l. c. p. 12. 25), ad quorum argumenta prope accedit Eryxias, quo ostenditur sapientiam esse maximum bonum, divitias malum. sed quod Meisterus (ann. phil. 1890

1) cf. Kaibel Herm. XXX. p 442.

673—679) dicit propterea Aeschini Eryxiam adscribendum esse, ego contra puto ideo eum Aeschinis nomini adscriptum esse quod is similes res in dialogis suis persecutus erat.

primus accuratius de Eryxia Meinersius[1]) egit, qui in sermone nihil invenit, cuius Socraticum philosophum pudere debeat, et plures notiones Socrati proprias deprehendit. tamen scriptorem dialogi disserendi elegantiam contemnere et confuse loqui; Socratem se ipsum saepius refutare, nullam quaestionem absolutam esse, magnam obscuritatem verborum. sed ad quaestionem absolvendam Meinersius nihil contulit. idem accidit in Astio[2]) et Sochero[3]), qui post Meinersium rem paucis verbis attigerunt neque minus Eryxiam reprehendunt. deinde copiosius de dialogo exposuit Hagenius[4]). magnum consensum eius cum Platonis Xenophontis Aristotelis Stoicorum placitis statuit; compositum esse „non ab Academico quodam, sed Stoico posterioris aetatis philosopho, qui sententiis scholae suae dialogi Platonici formam induxit“, et Stoicorum paradoxis adnumerandum esse. sed quamquam Hagenius diligentius quam ceteri in rem inquisivit et ad dialogum rectius interpretandum utilia quaedam contulit, tamen quaestionem sine ordine et ratione instituit. nonnulla quae auctor Eryxiae ex Platone sumpsit C. F. Hermannus[5]) congessit. post quem viri docti obiter tantum dialogum commemorarunt,

1) Judicium de quibusdam Socraticorum reliquiis. commentationes soc. reg. Gotting. 1782 p. 48 sqq, quae dissertatio etiam Fischeri editione tertia impressa est.

2) Platons Leben und Schriften. Leipzig 1816. p. 501.

3) Über Platons Schriften. München 1820. p. 453.

4) Observationum oeconomico — politicarum in Aeschinis dialogum qui Eryxias inscribitur. partes II. Diss. Regiomont. 1822.

5) Geschichte und System der Platonischen Philosophie. p. 413—418.

quos omnes enumerare supersedeo. id quidem omnes consentiunt Eryxiam neque a Platone neque ab Aeschine conscriptum esse, cum multa in eo insint, quae ex Cynicorum vel Stoicorum praeceptis petita sint.

Caput II.

Eryxias cum Platonis dialogis comparatur.

Agitur in dialogo de virtute et divitiis (p. 393 B), quae res maximi momenti gravissimaeque hominibus esse identidem affirmantur (p. 393 A: *οὐ περὶ σμικρῶν λόγων ποιεῖσθαι* [sc. *τὸν Ἐρασίστρατον*] *ἀλλὰ περὶ τῶν μεγίστων δοκούντων εἶναι.* p. 396 B: *περὶ τοιούτου πράγματος ᾧι ἀνάγκη προσχρῆσθαι παρ' ὅλον τὸν βίον κτλ.*) iam vero tantum abest ut Plato de divitiarum pretio proprium dialogum compositurus fuerit, ut obiter summatimque eas attigerit praecipue in dialogis quos de re publica et legibus conscripsit, exponens et nimias divitias et nimiam egestatem rei publica periculosa esse. sed quae Plato sibi quaerenda sumpsit, eadem sunt de quibus Socratem disputavisse ex Xenophonte (mem. V, 1, 16) scimus. Stoicorum autem ratio quam longe a Platone absit, quid nobis melius ostendere potest quam illa Ciceronis verba: „alia est cum veritas ipsa limatur in disputatione subtilitas, alia cum ad opinionem communem omnis accommodatur oratio?“ (de off. II, 35). nam cum Platonis studium in vero inveniendo per totam vitam positum fuerit vulgi opinione neglecta, Stoici philosophi quamquam idem studebant, tamen non minus id spectabant, ut scripta sua ad voluptatem vulgi componerent, imprimis ea quae de virtute moribusque erant, quod primus fecit Zeno Citiensis

princeps Stoicorum. Chrysippum quodcumque ei incideret, litteris mandavisse testatur Diog. L. VII, 180: *πᾶν τὸ ὑποπεσὸν γράφων.* eandem rationem esse Cynicorum eiusdem aetatis velut Bionis Teletis nemo nescit. quibus non dissimilem esse Eryxiam, in quo non Platonis sed aliorum philosophorum sententias specie dialogi Platonici indutas inveniamus, hac dissertatione efficiemus.

In Eryxia igitur dialogo quattuor viros inter se colloquentes scriptor facit, Socratem Critiam Erasistratum Eryxiam, quorum Socratem et Critiam e Platonis dialogis novimus; Erasistratum autem et Eryxiam non novimus. Erasistratus est consobrinus Phaeacis cuiusdam et Erasistrati nepos. qui e Sicilia Italiaque reversus pridie Megaris Athenas pervenit una cum legatis Syracusanis (p. 392 D). iam vero ante expeditionem Siculam quae est ille *σφόδρα μέγας στόλος* (p. 392 B), duae legationes ab Atheniensibus in Siciliam missae esse traduntur, altera anno a. Chr. n. 422 cui praeerat Phaeax Erasistrati filius, (Thuc V, 4, 10), altera anno 416 (Thuc. VI, 6, 8. Diod. XII, 83), quarum posterior in Eryxia dialogo non significatur, neque enim nomina legatorum Thucydides memoriae prodit. sed pariter multa obstant, quominus legationem priorem anno 422 missam arbitremur. primum enim Erasistratus non dicitur legatus Atheniensis fuisse, sed etiam ob aliam rem in Siciliam profectus esse potest velut negotiandi causa. deinde autem non nave sed pedibus pridie Megaris Athenas rediit, cum Thucydides duabus navibus in Siciliam legatos vectos esse testetur. denique id quod maximi momenti est, alia in Eryxia exstant nomina alia in Thucydide. hic legationis principem Phaeacem Erasistrati filium fuisse narrat, cum in Eryxia Erasistratus consobrinus Phaeacis sit, qui Erasistrati filius est. Phaeacem autem eundem

esse, quem Thucydides nominat et Plutarchus (Alc. 13) apud Athenienses multum auctoritate valuisse dicit, facile credemus. sed quis est Erasistratus? ex Eryxia nihil nisi nomen eius cognoscimus, ut decernere non possimus utrum auctor dialogi nomina a Thucydide tradita mutaverit an Erasistratus sit unus ex eis, quos eadem aetate Athenis vixisse scimus; Erasistratum Eratonis filium Lysias 17 commemorat, alter Erasistratus est unus ex triginta viris (Xen. hist. Gr. II,3,2), tertium Antiphon nominat (fr. 16). de Erasistrato igitur nihil constat, quamquam veri dissimile non est scriptori Eryxiae illum Thucydidis locum obversatum esse. sed quidquid de Erasistrato iudicas, id constat hunc dialogum ante expeditionem Siculam habitum fingi. ficta est legatio a Syracusanis Athenas missa et quidem non satis affabre ficta, nulla alia de causa nisi ut ad quaestionem propositam perveniretur. fictus est fortasse Eryxias Stiriensis quoque, de quo neque Plato neque alius quisquam neque tituli quidquam nos docent. amicus et gentilis Critiae est (p. 396 D) qui de divitiis loquens induci videtur, quia domus eius divitiis ceterisque quae vulgi opinione ad felicitatem pertinent, praestabat.

sed non casu accidit, ut Eryxias cum Charmide Platonis dialogo non nullis in rebus consentiat, id quod Brunsius[1]) quoque vidit. in utroque enim dialogo Socrates narrat sermonem qui fuerit inter quattuor viros. in utroque Socratem et Critiam invenimus. Critias autem est consobrinus tertiae personae, in altero dialogo Charmidis, in altero Eryxiae. denique quarta persona, quae est in altero Chaerepho in altero Erasistratus, nihil fere ad quaestionem conficiendam confert. sed in Charmide dialogo Plato tam artificiose rem exponit, ut sermo non narrari videatur sed quasi

---

[1]) Das litterar. Portr. d. Griechen p. 342—343.

ante oculos nostros res agatur. quantum in Charmida decoris et elegantiae est Platoni et in rebus et in verbis, quam ornata et viva ut ita dicam est oratio! Socrates pridie Potidaea Athenas redux Taureae palaestram intrans undique salutatur; Chaerepho paene demens gaudio factus eum ad Critiam ducit, omnes qui circa sunt, considunt cupidi quid Socrates novi referat de Potidaea. quam diversus autem est Eryxias a Charmide! nam in initio dialogi id quod maximi momenti est, non Socrates primarias partes sermonis tenet sed Erasistratus, ad quem omnes concurrunt quaerentes quid novi de Sicilia nuntiet. Socrates et Eryxias in porticu Jovis Liberatoris[1]) ambulantes obviam veniunt Critiae atque Erasistrato item ambulantibus. illic Socrates pridie Potidaea reversus hic Erasistratus Megaris redux rogantibus narrat, quid Syracusani contra Athenienses agant.

sed ratiocinando inveniri potest, quid Erasistratus in Eryxia sibi velit. finxit enim scriptor dialogi, ut de divitiis disputaret, Syracusanum quendam virum divitem aetate belli Peloponnesiaci Athenas legatum profectum. eum novit Erasistratus Atheniensis, sive legatus ab Atheniensibus Syracusas missus sive saepius negotiandi causa in Siciliam et Italiam profectus.

quod in initio dialogi personas, quae postea inter se collocuntur, videmus ambulantes in porticu Jovis et casu obviam factos, propius accedit ad Aeschinis Socratici rationem quam Platonis. illius enim duo dialogi incipiunt alter *ἐκαθήμεθα δὲ ἐν τῇι στοῦι*[2]) (Priscian. vol. II. p. 320, 21 K), alter *ἐκαθήμεθα μὲν ἐπὶ τῶν θάκων ἐν Λυκείωι* (Demetr. de eloc. § 205)

---

[1]) ibi Socrates etiam cum Jschomacho colloquitur in Xen. oec. 7, 1.

[2]) num haec verba initium dialogi sint, propter particulam δὲ dubitari potest.

unum autem in Eryxia est, quod in nullo dialogo Platonis deprehendimus. qui si dialogum de divitiis scripsisset, Socratem cum divite quodam viro e. g. cum Callia ditissimo viro Atheniensium sermonem ordientem fecisset. in Eryxia autem non unus ex eis, qui inter se colloquntur, sed homo quidam sine nomine casu praeteriens[1]) ansam de divitiis disputandi praebet. nempe etiam in Charmidae initio is non adest, quocum Socrati de temperantia colloqui in animo est, sed paullo post quam palaestram intravit advocatur, ut Socrates quaestionem propositam instituere possit.

in utroque vero dialogo fere eodem modo transitus ad id quod quaeritur, fit, in Charmide sic: *καὶ ἅμα ταῦτ' αὐτοῦ* (sc. *τοῦ Κριτίου*) *λέγοντος ὁ Χαρμίδης εἰσέρχεται*, in Eryxia: *μεταξὺ δὲ ἡμῶν διαλεγομένων ἐτυχέτην οἱ Συρακόσιοι παριόντες* (p. 392 D).

haec habui quae de personis ac prooemio dialogi dicerem. nunc videamus quo modo disputatio de re proposita procedat.

Fundamentum totius quaestionis est, ut ostendatur sapientiam summum bonum esse, divitias malum, quae res exemplis Socratis viri sapientissimi et legati Syracusani qui omnium Italorum Siculorumque ditissimus simul ac pessimus est confirmatur. priore autem parte dialogi quam usque pag. 399 A pertinere cum Fischero consentio, probatur primum non opes sed sapientiam magis divitem facere, deinde divitias vel malum esse posse.

prooemio dialogi absoluto res agitur inter Socratem et Erasistratum qui quaerere sibi proponunt, quae ratio inter virtutem et divitias intercedat (p. 393 B). atque Erasistrato quidem videtur quo quis pretiosiora habeat eo ditiorem esse. (p. 393 C.) iam vero cum bona valetudo pretiosissima sit, si quis habeat quod

1) cf. Bruns l. c. p. 343.

illa pluris sit, ditissimus est. deinde ambiguitate quadam verbi *εὖ πράττειν* efficitur sapientiam summum bonum esse. ergo sapientissimi quique et felicissimi et ditissimi sunt. (p. 394 A.) quae sententia a Socrate explicata et ab Erasistrato et ab Eryxia improbatur. sed Erasistrato neganti mendico sapientiam quicquam prodesse Socrates respondet sapientem virum sapientia sua semper sibi comparare posse quidquid ad vivendum necessarium sit. (p. 394 A—E.) Eryxiam autem etiam nunc dubitantem num sapientia summum bonum sit, maxime increpat, quod has orationes nihil nisi sophistarum lusus esse putet (p. 395 A—C). itaque Eryxias ne frustra verba consumantur, quaestionem ita discribit, ut primum explicetur quomodo comparatae divitiae turpes sint et quomodo non sint, deinde quid divitiae ipsae sint, bonum an malum. (p 395 D.)

sed Critias sermoni se interponens Eryxiam concedere cogit divitias aliis utiles esse aliis perniciosas, et utiles quidem eis, qui recte eis uti sciant, perniciosas eis qui nesciant. Socrates vero cum Eryxias qui divitias nihil nisi bonum esse ante dixerat, a Critia se refutatum esse aegre ferat, intercedit ne altercatio inter eos exardescat, dicens eandem rem quam Critias comprobaverit, nuper in Lyceo a Prodico sophista tractatam sese audivisse, cuius orationem Erasistrato rogante narrat (— p. 399 A .

hic subsistamus ut priorem partem dialogi perpendamus. duo in ea notabilia sunt. primum enim argumentatio a felicitate ad sapientiam (p. 393 E. 394 A.) non satis scite transcedit, quae ut recte procederet, ita fere argumentandum erat:

1) beatitudo summum bonum est.

2) beatissimos eos vocamus qui *μάλιστα εὖ πράττουσιν*.

3) ei *ἄριστα ἂν πράττοιεν*, qui nihil fere peccant ac plurimas res bene gerunt.

4) hoc contingit eis qui sciunt, quid faciendum fugiendumque sit, i. e. sapientibus.

5) sapientissimi igitur felicissimi sunt.

6) cum vero sapientibus scientia sit bene consulendi de ipsorum et amicorum rebus, quam scientiam maioris pretii bona valetudine esse ante concessum est (p. 393 D), etiam ditissimi sunt ei qui sapientissimi sunt.

7) ergo sapientissimi quique et felicissimi et ditissimi sunt; sapientia autem summum bonum est.

alterum neglegentiae levitatisque scriptoris indicium, est, quod prior illa pars quaestionis quam Eryxias proposuit (p. 395 D) omnino omissa est atque id tantum explicatur, utrum divitiae bonum an malum sint.

effectum igitur est sapientiam summum bonum, divitias vero etiam praeter opes velut in scientia medicinae vel gubernationis positas esse, deinde opes vel malum esse posse.

valde memorabile initium alterius partis dialogi est (p. 399 E). conceditur enim operam ad disputationem adhibitam omnino perditam esse. nam Socrates primum exquirendum esse dicit, quid divitiae sint, quod nisi definitum fuerit, iudicium fieri non posse, utrum bonum an malum sint. Erasistratus autem Socrati roganti respondet divitias esse *τὰ χρήματα πολλὰ κεκτῆσθαι* (p. 399 E.). atqui cum eaedem res non omnibus hominibus eiusdem pretii sint, velut alia pecunia Carthaginiensibus in usu est[1]), alia Lacedaemoniis, alia Scythis, sequenti disputatione ostenditur *ὅσα . . . τυγχάνει χρήσιμα ὄντα ἡμῖν, ταῦτα χρήματα· ὅσα δ' ἀχρεῖα, ταῦτα δ' οὐ χρήματα* (p. 400 E). quae sententia num vera sit, Eryxias dubitat, cum non omnia quae nobis utilia sint, in opibus ponamus. itaque perscrutandum est ad quem usum utiles eae res sint, quas opes vocamus

1) cf. Hultsch, Griech. u. röm. Metrol. 2. p. 432.

(p. 401 B).[1]) atque ex comparatione opum cum medicina colligitur opes esse ea quae ad cupiditates corporis levandas utilia sint (p. 401 E). iam vero id ad rem aliquam utile est, sine quo illa res fieri non potest. aurum argentumque igitur ad cupiditates corporis explendas utilia esse non existimemus, si sine eis id efficere possimus, sed ea quibus utiles res comparantur (— p. 402 C). cum vero victus multis artibus velut musica grammatica comparari possit, ei quibus illae artes sunt ditiores sunt, atque iterum divitias quasdam etiam praeter opes esse effectum est, (p. 403 A) quae res priore parte dialogi praeparata est. id quoque quod Critias exposuit, de integro repetitur: aurum argentumque et alia eius generis ei tantum utilia esse, qui eis uti sciat, atque ideo ei tantum opes quem Graeci *καλὸν κἀγαθόν* vocant (p. 403 B) quae res cum Critiae non probata sit, Socrates ad novam disputationem transgressus explicat pecunia comparari posse medicinam, medicina auditum, auditu virtutem, ergo improbitate virtutem, quoniam nequitia pecuniam quaerere possimus. sequitur igitur non omnes res quibus ea quae ad rem aliquam utilia sint, comparamus, ad eandem rem utiles esse, nisi forte turpitudo ad virtutem, inscientia ad scientiam, morbus ad bonam valetudinem utilis sit (p. 404 E). tamen dubium non est quin is tantum sanus fieri possit, qui ante aegrotus fuit, sapiens qui ante insipiens, bonus qui ante malus. quae verba quam captiose sophisticeque dicta sint, primo quasi

1) p. 401 A contextus verborum emendatione indiget. in codicibus haec verba tradita sunt: *τῶι διαλέγεσθαι καὶ τῶι βλάπτειν καὶ ἑτέροις πολλοῖς*. coniecturae autem a viris doctis adlatae mihi non sufficiunt. quamquam ne mihi quidem usque adhuc contigit, hunc locum emendare, tamen commemorare mihi liceat quid sensus poscat. in Euthydemo enim (p. 275 C) coniuncta sunt verba: *ἐρωτῶσί τε καὶ διαλέγονται*. cf. Prot. p. 329 C. Crat. p. 390 C.

aspectu quis non videt? cui mirum videtur quod Critiae a Socrate id persuaderi non potest? qui ut sermonem tandem ad finem perducat, explicat eum miserrimum esse, cui plurima pecunia utilis sit, argumentationem hunc in modum concludens:

1) cupiditates sunt indigentiae.

2) ei in quibus plurimae cupiditates sunt, miserrimi sunt.

3) opes tantum utiles sunt, si indigentias levant.

4) quibus magnae opes utiles sunt, multae indigentiae sunt.

5) ditissimi sunt miserrimi.

iam vero consideremus quo modo ei describantur, qui in Eryxia dialogo sermocinantur. sed unum liceat praefari, quo dialogus a Platonis scriptis differat. Socrates enim sermonem quendam narrat quem cum Critia Erasistrato Eryxia de divitiis habuerat, sed quis sit cui narrat non commemoratur. Plato vero in dialogis significare solet, cui Socrates sermonem refert, velut eum in Charmide adloquitur *ὦ φίλε* (p. 155 C) vel *ὦ γεννάδα* (p. 155 D). item compluribus qui circumstant, Socrates colloquium narrat, quod cum Protagora Calliae domo habuerat; sed in Protagora res diversa est eo quod sermo cum uno ex eis qui eum audiunt (p. 309 C. 310 A.) narrationi Socratis praemissus est.

sed ad Eryxiam redeamus. primarias partes sermonis S o c r a t e s habet, ut par est. quamquam egenus est, tamen ditissimus est, quia sapientissimus est (p. 395 A.) Erasistrato autem et Eryxiae qui divitias maximi aestimant, omnibus rebus sapientiam scientiamqua praeferendam esse exponit; quis autem si hanc disputationem legat, non venit in mentem Socratis apud iudices loquentis hunc in modum: *χρημάτων μὲν οὐκ αἰσχύνῃ ἐπιμελούμενος, ὅπως σοι ἔσται ὡς πλεῖστα, καὶ δόξης καὶ τιμῆς, φρονήσεως δὲ καὶ ἀληθείας καὶ τῆς ψυχῆς ὅπως ὡς βελτίστη ἔσται, οὐκ ἐπιμελῇ οὐδὲ φροντίζεις;*

(Plat. apol. p. 29 D E.) Socrates quamvis sapiens sit, tamen notitiam rei ipsius de qua quaeratur, sese non habere dicit (p. 396 D.); sed nihilo minus quantum possit sermonem adiutare se velle (p. 399 E.). eodem modo Plato Socratem describit, quem in Menone p. 80 D. ita loquentem facit: *καὶ νῦν περὶ ἀρετῆς ὅ ἐστιν, ἐγὼ μὲν οὐκ οἶδα . . . . . . ὅμως δὲ ἐθέλω μετὰ σοῦ σκέψασθαι καὶ συζητῆσαι ὅτι ποτὲ ἔστιν*[1]).

Socrates ut sophistas contemnit, ita magnopere Eryxiam obiurgat. quod orationes suas sophistarum lusum esse putet (p. 395 A—C.), qui nomen Socratis non ab littera S sed ab littera A ordiri demonstrare possint. similiter Socrates in sophistas invehitur in Phaedone (p. 90 C) atque illarum captationum sophisticarum exempla habemus in Euthydemo, quo dialogo Socrates Euthydemum et Dionysodorum tam festive illudit irridetque.

ante omnia Socrates monet, ut primum res ipsa definiatur, quae quaerenda proposita sit. (p. 399 D.) sed hoc loco scriptorem Eryxiae Platonis Menonem imitatum esse iam Hermannus vidit. sicut in Eryxia ita in Menone Socrates id agit imprimis, ut prinsquam inquiratur utrum virtus doceri possit necne, explicetur quid sit virtus (p. 71 A. B). sed neminem puto fallit, quam male auctor dialogi munere imitationis functus sit. nam id quod Platoni primum est, ipse fere dimidia disputatione absoluta dicit.

maxime id Socrates spectat, ne tenor et ordo sermonis turbetur. itaque cum Eryxiam ira inflammatum videat, quia a Critia refutatus est, intercedit ne certamen inter amicos et consanguineos, oriatur. (p. 397 C). eodem modo in Euthydemo (p. 288 B) ut altercationem avertat, Ctesippum placare studet; atque hunc Euthydemi locum animo scriptoris Eryxiae

[1]) cf. Hermannum l. c. p. 581.

obversatum esse non dubito, cum in utroque dialogo fere eadem verba legamus:

Euthyd. p. 288 B.:	Eryx. p. 397 C.:
φοβηθεὶς μὴ λοιδορία γένηται.	*εὐλαβούμενος μὴ πορρωτέρω τις λοιδορία καὶ ἐναντίωσις γένοιτο.*

conferri potest etiam alius eiusdem dialogi locus (p. 285 A) quo Socrates Dionysdori et Ctesippi vehementius certantium animos sedare ac delenire studet atque similiter Protagoram cuius animum oratione sua perturbavit, placide interrogare incipit (Protag. p. 333 E). nempe in omnibus Platonis dialogis Socrates contendit, ut ordo disputationis servetur, quam rem lectione Platonis cognitam scriptor Eryxiae in usum suum convertit. denique comparationes quas Socrates ut oratio illustretur, a gubernatione et medicina, ab arte grammatica et musica, imprimis a re equestri petit, quis est quin ex Platone et Xenophonte noverit, ita ut locos multos congerere supersedeam?

secundum locum Critias in Eryxia obtinet. dicitur esse *πολιτικὸς ἀνὴρ καὶ πολλοῦ ἄξιος* (p. 399 C) et *καλὸς κἀγαθός* (p. 399 B). itaque non mirum est quod verbis eius omnes fidem habent. atque sicut in Eryxia omnibus sententiam suam probat ita in Charmide apud omnes auctoritate multum valet (*εὐδοκιμεῖ ἑκάστοτε* p. 169 C). de divitiis ita iudicat ut eas malum esse putet eis qui cupiditatibus imperare non possint. quam opinionem Socrates in eam formam redigit ut sapientibus et *καλοῖς κἀγαθοῖς* tantum opes utiles esse dicat. id quod Critias, ut est pertinax atque in opinione ante concepta persistens, verum esse negat (p. 403 D), ita ut Socrates ad novam argumentationem transire cogatur. notabile autem est quod Critias Socrati concedit ditissimos esse miserrimos, cum eos tantum hominum divitum miseros esse ante dixerit,

qui cupiditates coercere nequeant. neminem igitur fugiet quam inconstanter Critias describatur.

Hermanno (l. c. p. 581 n. 157) memorabile videtur quod Critias subito Eryxiam et Socratem sermocinantes interrumpit (p. 395 E), qua in re scriptorem Eryxiae Euthydemum (p. 276 C) imitatum esse existimat. at mihi quidem Critias sermoni se interponere videtur propterea quod eius nondum particeps fuit. nam si totum dialogum considerabis, utramque partem eodem modo discribi intelleges. sicut enim in priore parte primum res inter Socratem et Erasistratum agitur, deinde inter Socratem et Eryxiam, tum Critias verba facere exorditur, ita in altera parte primum Socrates cum Erasistrato disputat, deinde cum Eryxia, in fine dialogi cum Critia.

qua de causa Erasistratum auctor loquentem induxerit, iam supra dixi. nihil nisi nomen Erasistrati cognoscimus. ne id quidem certo scimus quam ob rem in Siciliam et Italiam profectus sit. huc accedit quod ad quaestionem propositam solvendam fere nihil confert. vulgi opinionem secutus divitias bonum esse dicit neque cuiquam prodesse sapientem esse, si mendicus sit. (p. 394 B.) sed facile a Socrate refutatur. ne id quidem quod in altera parte dialogi profert, magni momenti est.

multo maior opera et diligentia in Eryxia describendo adhibita est.[1]) propinquus et amicus Critiae est (p. 396 D). de divitiis idem quod Erasistratus et imperita multitudo sentit, quod etiam adversus Socratis sermonem ei immotum fixumque manet. bis Socratem interpellat (p. 395 A. 400 E) qui non recte cum Erasistrato in rem inquisivisse videatur. priore loco a Socrate magnopere reprehenditur quod orationes nihil nisi sophistarum captationes esse arbitretur

[1]) cf. Steinhart Einleitung p. 6.

(p. 395 A—C). ne postea quidem (p. 402 C) ut est iudicii sui tenax, persuaderi ei potest aurum argentumque χρήματα non esse, si sine eis rebus cupiditates satiare possimus. quod tamen opinioni Socratis accedit, propterea fieri videtur, ne iterum ab eo increpetur. verecundia eum retinet, ne in Socratem vehementer invehatur. sed postquam a Critia convictus est, tanta ira inflammatur, ut eum verberare non dubitaret, nisi eorum qui adsunt, eum puderet (p. 397 C). Socratis autem castigatione adeo commovetur animoque confunditur, ut erubescat. iam vero eandem artem ut orationi colorem addat, Plato saepius in dialogis adhibuit. velut Dionysodorus a fratre castigatus erubescit (Euthyd. p. 297 A). erubescit etiam Clinias Euthydemi interrogatione perturbatus (ibid. p. 275 D) atque Socratis auxilium circumspiciens quasi auxilium ab eo petat; qui eum consolatur. sed hoc loco optime videmus, quid intersit inter artem Platonis et scriptoris Eryxiae. nam in Euthydemo Socratis est consolari atque adhortari, quod in Eryxia fieri non potest, quia Socrates ipse Eryxiam reprehendit. ne Erasistratus quidem ei auxiliari potest, quia ipse ante a Socrate redargutus est. neque Critiae id facere licet cui paullo post Eryxiam refellere propositum sit. itaque Eryxias ipse loqui pergere cogitur.

restat ut de Prodico agamus. Socrates cum Eryxiam iratum videat, eandem rem quam Critias probaverit, paulo ante in Lyceo ex Prodico sophista sese audivisse narrat, cuius orationem Erasistrato rogante refert (p. 397 E—399 A). iam vero quaestio existit, utrum Prodici orationem revera audiverit an finxerit. qua de re ut recte iudicemus similitudo, quae Eryxiae est cum Axiocho, non est neglegenda. in quo dialogo Socrates ea quae de metu mortis exponat, nihil nisi praecepta Prodici esse dicit, quae ille in Calliae domo tradidisset (p. 366 B) atque in

utroque dialogo Socrates orationem Prodici similibus verbis referre inchoat (Eryx. p. 397 D E. Axioch. p. 366 D). de Axiocho Immischius [1]) ita iudicat, ut illa quae in eo de metu mortis disputata legimus, re vera Prodicus praecepisse censendus sit. quod negant Wilamowitzius [2]) et Brinkmannus [3]). disputatione vero Prodici quam in Eryxia habemus, cum Euthydemo dialogo comparata Dümmlerus [4]) Socratem et Prodicum amicitiae vinculo coniunctissimos fuisse collegit. id Heinzius [5]) et Zellerus [6]) recte infitiati esse mihi videntur. nam e Platonis dialogis apparet Socratem non pluris fecisse Prodicum quam ceteros sophistas. Plato vero Prodicum indignum esse putavit, qui proprio dialogo illuderetur. itaque idem quod de Axiocho etiam de Eryxia iudicandum esse existimo Socratem Prodici orationem finxisse. (cf. Wilamowitz l. c. p. 979). accedit quod in Eryxia acumen atque elegantiam disserendi Platoni propriam omnino desideramus, neque enim Prodicum tam inscite rusticeque exagitasset (cf. imprimis p. 398 C). Prodicus adulescentulo cuidam quaerenti quo modo divitiae bonum sint, quove modo malum, eis divitias bonum esse respondet, qui uti eis sciant, malum eis qui nesciant. omnibus autem hominibus τὰ πράγματα talia esse, quales ipsi sint. deinde puer ille in vocabulo πρᾶγμα ludens Prodicum rogat, num ei qui artem grammaticam vel musicam discat, τὰ πράγματα grammatica vel musica fiant. Prodicus quamquam id negat, tamen rem accuratius non exponit. sed quid facilius erat? Plato certe eum

[1]) Philologische Studien zu Plato. 1. Heft. Axiochus. Leipzig 1896. p. 52 sqq.
[2]) Götting. Gel. Anz. 1895. p. 977 sqq.
[3]) Rh. M. 1895. p. 444.
[4]) Akademika. Giessen 1884. p. 275 sqq.
[5]) Berichte der phil.-hist.-Kl. d. Sächs. Gesellschaft d. Wissensch. 1884. p. 315 sqq.
[6]) Philos. d. Griechen I,2⁵. p. 1060 sqq.

explicantem fecisset *τὰ πράγματα* bona aut mala esse posse, sed non grammatica vel musica. cur Prodicus veram significationem verbi *πρᾶγμα* non explanat, et quid intersit inter *πράγματα* et *ἔργα* aut inter *πράγματα* et *χρήματα*[1]), sicut apud Platonem demonstrat, quid inter se differant verba *κοινός* et *ἴσος* atque *ἥδεσθαι* et *εὐφραίνεσθαι* (Prot p. 337)?

iam vero Prodicus cum hominibus *τὰ πράγματα* talia esse dixerit, quales ipsi sint, concedere debet homines res bonas facere posse, qua re virtutem non innatam insitamque esse sed doceri posse efficitur (p. 398 C). neque enim nisi ita esset, homines res bonas facere possent, sed *τὰ πράγματα* semper talia essent qualia ab initio sunt. carere deorum precatione possumus, nam stultum esset id a deis precari quod discendo consequimur (p. 398 D). ea autem *ἀσέβεια* est; itaque Prodicus priusquam Socrates disputatione adulescentuli quasi animo perturbato auxiliari possit, a gymnasiarcho e gymnasio eicitur. in gymnasio enim pueri sunt.

multa quae scriptor Eryxiae in personis describendis a Platonis lectione petivit, supra memoravi. non nulla alia Hermannus l. c. congessit. velut illa verba *εἰ δέ τις ἡμᾶς νυνὶ προσελθὼν ἔροιτο· ὦ Σώκρατες καὶ Ἐρυξία καὶ Ἐρασίστρατε κτλ* (p. 393 D) in memoriam vocant Prot. p. 311 D: *εἰ οὖν τις ἡμᾶς . . . ἔροιτο, εἰπέ μοι ὦ Σώκρατές τε καὶ Ἱππόκρατες*, vel p. 330 C: *εἴ τις ἔροιτο ἐμέ τε καὶ σέ· ὦ Πρωταγόρα τε καὶ Σώκρατες, εἴπετον δή μοι.* (cf. ibid. p. 353 A).

eodem modo quo Critias Eryxiam interrogat (p. 396 E et 397 A: *δοκοῦσί τινές σοι ἀκρατεῖς εἶναι ἄνθρωποι*) saepissime Socrates in Platonis dialogis interrogationes instituit, si novam argumentationem incipit, velut in Phaed. p. 103 C: *θερμόν τι καλεῖς καὶ ψυχρόν*; cf. Prot. p. 358 D; 333 D; 332 A; 330 B.

[1]) cf. Steinhart l. c. p. 10.

illam locutionem *ἦ γάρ ἂν μαινοίμην* invenimus in Prot. p. 399 E et in Euthyd. p. 283 E.

in eo quod Socrates de abaco (p. 395 B) dicit, scriptori Eryxiae Platonem ante oculos obversatum esse (cf. remp. VI p. 487 C) negari nequit. in sequentibus vero Theaet. p. 203 A ante oculos habuisse videtur:

ΣΩ. Σωκράτους γοῦν εἴ τις ἔροιτο τὴν πρώτην συλλαβὴν οὑτωσί· ὦ Θεαίτητε, λέγε τί ἐστι σω; τί ἀποκρινεῖ;

ΘΕΑΙΤ. Ὅτι σῖγμα καὶ ὦ.

ΣΩ. Οὐκοῦν τοῦτον ἔχεις λόγον τῆς συλλαβῆς;

ΘΕΑΙΤ. Ἔγωγε.

ΣΩ. Ἴθι δή, οὕτως εἰπὲ καὶ τὸν τοῦ σῖγμα λόγον κτλ.

in initio autem dialogi Platonem imitando expressum esse veri non dissimile est. sicut Euclides et Terpsio (Theaet. p. 143 A B) fessi sunt alter eo quod Theaetetum vulneratum aliquantum prosecutus est, alter quod rure in urbem rediit, ita Erasistratus fatigatus est, quia pridie Megaris Athenas pedibus ivit. sicut illi considunt, ut se reficiant, ita Erasistratus considit. fortasse etiam illud Hermannus recte coniecit scriptori Eryxiae in describendo legato Syracusano Archelai regis in mentem venisse, qui quamvis potens Platoni tamen infelix putandus videtur (Gorg. p. 493 A).

Caput III.

De doctrina quae Eryxia continetur.

Nunc singula perscrutemur ac primum quidem consideremus, quo modo summa dialogi a Platonis praeceptis discrepet.

fundamentum totius quaestionis est ut explicetur sapientiam summum bonum esse, divitias malum;

sapientiam maximi pretii esse, sapientes esse et felicissimos et ditissimos (p. 394 A) neque pecunia solum sed etiam sapientia scientiaque artium res ad vivendum utiles comparari (p. 394 C—E; 402 E sqq.).

quid Platoni summum bonum sit, ex Philebo (p. 66 A sqq.) cognoscimus. huic loco fortasse non nulla quae in aliis dialogis legimus, repugnare videntur velut quae Plato in Protagora (p. 352 A sqq.) exponit: scientiam esse optimum omnium rerum humanarum et eum qui quid bonum et quid malum sit, discernere possit, a nullo superari posse, proxime ad disputationem quam in Eryxia invenimus, accedere videntur. sed hoc Protagorae loco Plato scientiam propriam praedicat improbans illam vanam quam sophista iactat; quae scientia qualis esse debeat, ex Philebo demum cognoscimus. nempe Platonis sapiens videtur dives esse, sed non solus dives: (Phaedr. p. 279 C). itaque scientiam bonum esse iudicat, inscientiam malum (Euthyd. p. 281 E) et sapientia opus esse ad recte agendum (Men. p. 97).

quam sententiam Stoici philosophi in eam formam redegerunt, ut sapientiam summum bonum esse dicerent. sapientes omnes res bene gerunt i. e. Graece *ἄριστα πράττουσιν* vel *κατορθοῦσι* (Stob. ecl. II p. 66, 94 W. Zeno fr. 148 Pears.) „omnes qui non sunt sapientes, aeque miseri sunt, sapientes omnes summe beati.“ (Cic. de fin. IV, 55. cf. Zeller III, 1[3] p. 248 sqq. Dyroff, Die Ethik d. alten Stoa p. 194 sqq.) sapientis felicitas tanta est quanta deorum.(Stob. ecl. II, p. 98,20 W). „Zeno sapientem non beatum modo, sed etiam divitem dicere ausus est“ (Cic. de fin. V, 84) et solos sapientes etiam si mendicissimi sint, divites esse (Zeno fr. 151 P.). denique apud Plutarchum (*ὅτι παραδ*. c. 6) clamitat Stoicus quidam: ‘*ἐγὼ μόνος εἰμὶ βασιλεύς, ἐγὼ μόνος πλούσιος*.’

iam vero apud Cic. de off. I, 153 haec legimus: ‘principsque omnium virtutum est illa sapientia quam *σοφίαν* vocant; prudentiam enim quam Graeci *φρόνησιν* dicunt, aliam quandam intellegimus: quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia; illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum atque humanarum scientia.’ (cf. de off. III, 2,5) quae verba fortasse dubitationen movent, num in Eryxia Stoicorum doctrina reperiatur, qui sapientiam aliter definiunt ac scriptor Eryxiae; hic enim sapientes eos vocat, qui sciunt quid bonum et malum sit, quid faciendum fugiendumque. in quibus Panaetius quem Cicero sequitur, non sapientiam illam quae *σοφία* vocetur, esse statuit, sed prudentiam, quam Graeci *φρόνησιν* dicant, et cuius definitionem invenimus in Stob. ecl. II p. 59,4 W.: *φρόνησιν δ' εἶναι* (sc. *ὁ Ζήνων φησίν*) *ἐπιστήμην ὧν ποιητέον καὶ οὐ ποιητέον καὶ οὐδετέρων ἢ ἐπιστήμην ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων* (cf. Cebet. tab. 3,3). multa alia eiusdem generis Wachsmuthius ad hunc locum congessit. quamquam Stoici ea quae facienda sunt, et ea quae fugienda sunt inter se distinguunt (Cic. de off. I, 101. Diog. L. VII, 101. 105) atque scientiam bonorum et malorum ad beatitudinem necessariam esse censent, tamen fortasse neget quispiam in Eryxia vestigia Stoicae disciplinae deprehendi, quia sapientia eodem modo definiatur non quo *σοφία*, sed quo *φρόνησις* a Stoicis definitur, et praeterea *οὐδέτερα* illa silentio praetereantur. at sapientiam in Eryxia non solum illam scientiam bonorum et malorum significare, sed etiam unamquamque scientiam artemque ut etiam apud Platonem (Prot. p. 312 C D) et Xenophontem (mem. IV, 6, 7), inde cognoscimus quod gubernator et medicus sapientes vocantur (p. 394 E) et scientia quae p. 394 A *σοφία* appellatur p. 402, 403 *ἐπιστήμη*. *ἐπιστήμην* autem a Zenone Citiensi etiam *φρόνησιν* dictam esse docet nos

Plut. de virt. mor. p. 441 B C. eadem *φρόνησις* in Cebetis tabula, qua Praechterus[1]) praecepta Stoicorum contineri probavit, *ἐπιστήμη* dicitur. quod *οὐδέτερα* illa in Eryxia omissa sunt, Galenus (Hipp. et Plat. p. 595 cf. p. 468) testatur non omnes Stoicos ea in notione *φρονήσεως* definienda adhibuisse. velut Aristo Chius quem praecepta sectae suae severissime omnium Stoicorum persecutum esse scimus, unam virtutem statuit, quae est scientia bonorum et malorum; qua in re eum secutum esse Socratem, recte Dyroffius ex Xen. mem. III, 9 collegit. legas quaeso etiam Plut. de comm. not. 1066 D et Chrysippi fr. 50 G.: *ἀλλ' εἰ ἔστιν ἀρετή, ἔστι φρόνησις· ἀλλ' εἰ τοῦτο, ἔστιν ἐπιστήμη ποιητέων τε καὶ οὐ ποιητέων· ἀλλὰ ποιητέα μέν ἐστι τὰ κατορθώματα, οὐ ποιητέα δὲ ἁμαρτήματα.* (cf. Zenonis fr. 148 P.)

ut ea quae adhuc disputavi, breviter comprehendam, id certe, nisi egregie fallor, effectum est in Eryxia Stoicorum quandam doctrinam expressam esse et quidem non diligenter.

iam ad alterum transeamus quod in Eryxia docetur divitias malum esse atque primum videamus, quid Plato de divitiis sentiat. qui quosnam bonorum ordines ac velut gradus fecerit, ille Philebi locus supra allatus demonstrat. cui adiungas legg. I p. 631 C: bonorum omnium, quorum tria genera sunt, primum quidem locum obtinent bona animi, secundum ea quae ad corpus pertinent, tertium pecunia opes divitiae (cf. Menex. p. 240 D). qui hunc ordinem bonorum in legibus condendis neglegens opes plurimi aestimat, is nec recte nec prudenter agit. summum bonum est virtus qua continentur *φρόνησις καὶ νοῦς καὶ δόξα μετ' ἔρωτος τε καὶ ἐπιθυμίας τούτοις ἑπομένης* (legg p. 688 A)

[1]) Cebetis tabula quanam aetate conscripta esse videatur. Diss. Marb. 1885.

itaque sapiens dives est (Phaedr. p. 279 C), cui tanta pecunia est, quanta homini moderato ac temperanti ad vivendum necessaria est. nempe vulgi imperiti opinione legumlatori id imprimis agendum est, ut res publica quam maxima ditissimaque fiat, sed quod praeterea expetunt, ut res publica bona felixque sit, fieri non potest, ut eadem et dives et bona sit. (legg. V p. 742 D) proinde magnam copiam auri argentique in re publica esse non oportet (legg. VII, p. 801); nam ea aetate qua homines pauperes erant, ne discordia quidem erat. (legg. III p. 678 E sqq.) ubi autem neque egestas neque nimiae divitiae sunt, mores optimi sunt neque scelus iniuriaque neque odium invidiaque. nimiae divitiae cum inimicitias inter singulos homines tum bella inter totas civitates excitant (legg. V p. 728. III, 696 A. Phaed. p. 66 C). nemini igitur id spectandum est, ut liberis magnas opes relinquat sed honestatem et bonos mores. divitias autem mediocres et tantas esse oportet, ut vitam quietam ac securam degere possimus. nam qui ditior Cinyra et Mida idemque scelestus nefariusque est, non solum non felix est, sed etiam infelix (legg. II p. 660 D sqq. cf. remp. VIII, p. 550 D, quo loco eaedem causae adferuntur, cur paucorum dominatio improbanda sit). qui opes sibi quaerit sine ulla fraude (i. e. *πλουτεῖ ἀδόλως*) a poetis celebratur; opes autem sapienti tantum utiles sunt, (rep. I p. 331 A. Euthyd. p. 280 sqq.) qui eis non ad decipiendum quemquam utitur, sed ut aequo laetoque animo vivere possit. ut breviter complectamur quid Plato de divitiis iudicet, non omnino eas pro nihilo habet, sed ad beatitudinem certa pecunia opus esse existimat, cum nimias divitias luxuria inertiaque sequantur, egestatem inliberalitas et scelus, utramque in civitatibus studium rerum novarum. (resp. IV p. 421 E sqq.) cui iudicio non est contrarium quod in apol. p. 30 D legimus. neque

enim Socrates opes omnino contemnendas esse dicit, sed non tanti aestimandas quanti virtutem ex qua opes ceteraque bona fluant.

longe aliud iudicium est, quod Cynici Stoicique philosophi de divitiis ferunt.[1]) quantopere Cynici eas aspernentur, nemo nescius est. (cf. Diog. L. VI, 105. Zeller II, 1^4 p. 302 sqq.) quorum praecepta comprobantes Stoici veteris aetatis[2]) omnes res in bonas malas neutras dividunt ita ut divitias in neutris habeant (cf. Dyroff l. c. p. 100 sqq.) pluribus argumentis usi, quorum non nulla etiam in Eryxia invenimus, quod infra videbimus. nunc Senecam afferre sufficiat (ep. 94,7): 'efficias oportet ut sciat pecuniam nec bonum nec malum esse, ostendas illi miserrimos divites' i. e. *οἱ πλουσιώτατοι μοχθηρότατα διακείμενοι* (Eryx. in fine).

iam vero singula argumenta persequamur quibus confirmatur divitias non in bonis habendas esse et quorum primum cap. 5. 6 continetur. Socrates cum Erasistrato et Eryxiae sapientiam summum bonum esse *παρὰ δόξαν* dictum videatur, divitem etiam si tantas opes quantas Pulytio[3]) habeat, tamen egenum esse exponit; non enim solum divitiis pecuniaque res ad vivendum utiles comparari, sed etiam sapientia, velut gubernatorem et medicum arte sua quemque eas sibi quaerere; quanto ditiorem esse, cui summa scientia sit? eandem argumentationem Socrates in c. 23 et 24 retractat; non solum auro argentoque cupiditates satiari, sed etiam arte scientiaque quibus pecunia

[1]) cf. Schmidt, Ethik d. alt. Griechen. II, p. 379 sqq.

[2]) magis vulgari opinioni nec non Platonis accommodata est Stoicorum posterioris astatis sententia, qua de re v. Dyroff p. 256. Schmekel: Die Philosophie der mittl. Stoa p. 222. 371.

[3]) de Pulytione cf. Andoc. I, 12. 14. Isocr. 16, 6. Plut. Alc. 19. 22. Hitzig-Bluemner ad Paus. I, 2, 5. Meineke fr. com. Gr. II, p. 278.

comparetur; ergo eis in quibus scientia sit, ditiores esse eis qui ea careant.

secundum argumentum in eis est quae Critias cum Eryxia disputat (c. 11). quam argumentationem Stoicis usitatam fuisse testatur Diog. L. VII, 103: *οὐ μᾶλλον δὲ ὠφελεῖ ἢ βλάπτει ὁ πλοῦτος καὶ ἡ ὑγίεια· οὐκ ἄρα ἀγαθὸν οὔτε πλοῦτος οὔτε ὑγίεια· ἔτι τέ φασιν ᾧ ἔστιν εὖ καὶ κακῶς χρῆσθαι, τοῦτο οὐκ ἔστιν ἀγαθόν· πλούτωι δὲ καὶ ὑγιείαι ἔστιν εὖ καὶ κακῶς χρῆσθαι· οὐκ ἄρα ἀγαθὸν πλοῦτος καὶ ὑγίεια·* (cf. ibid. 102. 104). simile est Aristonis dictum illud: *ὡς τὸν αὐτὸν οἶνον πίνοντες οἱ μὲν παροινοῦσιν οἱ δὲ πραΰνονται, οὕτω καὶ πλοῦτον.* denique eadem res in Ceb. tabula[1]) (c. 39. 4—5) ostenditur: divitias ei tantum prodesse qui recte eis uti sciat; saepe igitur nihil eas prodesse, ergo non in bonis ducendas esse.

illa argumentatio quam in cap. 17 et 18 legimus, Cynicis Stoicisque tritissima est. Cynici enim ea quae videntur bona non esse ex eo colligebant, quod aliis hominibus aliae res opes esse videntur. nam cum aliis gentibus alia pecunia in usu sit, opes bonum esse non possunt. recte igitur Duemmlerus (l. c.) hoc loco vestigia Cynicae sectae deprehendit. exemplum Teles (p. 23, 1 H.) praebet, qui Bionis commentarium de sepultura exscripsit. Bionem autem Theodori illius qui *ἄθεος* vocabatur, scriptis usum esse videmus ex Ps.—Plut. an vitios. ad infel. suff. p. 499 D (cf. Hense: Teletis rell. proll. p. LXXXVII sqq). Cynicis ut nihil referre ostenderent

[1]) auctorem tabulae Eryxia usum esse ex ipso initio scriptiunculae apparet; quam rem iam cognoverunt Hagenius l. c. Susemihlius (Alex. Litterat. I p. 26 n.) Hirzelius (Der Dialog II, p. 256 seq. I p. 351). nam dialogum de quo agimus ante tabulam conscriptum esse cum Susemihlio consentio. tabulam enim non ante primum p. Chr. n. saeculum compositam esse Praechterus ostendit, paucis saeculis ante Eryxiam conscriptum esse hac dissertatione probabo.

quo modo sepelireris, argumento erat quod aliter Scythae mortuos sepeliebant aliter Bactriani aliter Hyrcani. iam Diogenis verba de vario sepulturae modo memoriae tradit Stob. flor. 123, 11. (IV, p. 126, 20 M.) Stoicos autem atque imprimis Chrysippum hanc Cynicorum argumentationem recepisse docet nos Cic. Tusc. I, 108: 'sed quid singulorum opiniones animadvertam, nationum varios errores perspicere cum liceat? condiunt Aegyptii mortuos et eos servant domi, Persae etiam cera circumlitos condunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora. Magorum mos est non humare corpora suorum, nisi a feris sint ante laniata. in Hyrcania plebs publicos alit canes, optumates domesticos. nobile autem genus canum illud scimus esse. sed pro sua quisque facultate parat, a quibus lanietur, eamque optumam illi esse censent sepulturam. permulta alia colligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus. sed ita taetra sunt quaedam ut ea fugiat et reformidet oratio'. idem Chrysippus similiter voluptatem non natura sed opinione hominum bonum esse probavit; sardinam e. g. Athenis contemni, alibi in deliciis haberi. (plura eius generis conlegit Dyroffius p. 103).

item ea quae in c. 28 legimus, proxime ad Stoicorum doctrinam accedit. qui divitias in bonis non numerandas esse eo probant quod malo modo comparari possint. nam 'quod contemptissimo cuique contingere ac turpissimo potest, bonum non est. opes autem et lenoni et lanistae contingunt; ergo non sunt bona' (Sen. ep. 87, 15). 'bonum ex malo non fit. divitiae fiunt autem ex avaritia: divitiae ergo non sunt bonum'. (cf. Clem. strom. IV, 483 C: *ἀγαθοῦ δὲ ποιητικὸν τὸ κακὸν οὐκ ἂν γένοιτο.* Alex. Aphrod. top. 107, n: *τὸ διὰ κακοῦ γινόμενον οὐκ ἔστιν ἀγαθόν· πλοῦτος δὲ καὶ διὰ πορνοβοσκίας κακοῦ ὄντος γίνεται κτλ.* (Ceb. tab. c. 40. 41.)

transeamus ad ultimum argumentum a cupiditatibus petitum. Plato quamquam *γαστριμαργίας τε καὶ ὕβρεις καὶ φιλοποσίας* maxime improbat, (Phaed. p. 81 E) tamen non omnino voluptatem repudiat (cf. Zeller I, 2[4] p. 873.) et longe a Cynicorum decretis abest. neque enim etsi appetitionem divitiarum reprehendit, si corporis voluptatum causa quaeruntur, ei qui prorsus nulla re indigeant, felices existimandi videntur (Gorg. p. 492 E). Cynici vero Socratis iudicium, cui nulla re indigere divinum, paucis contentum esse divino proximum esse videbatur, (Xen. mem. I, 6, 10, cf. oecon. I, 20 sqq.) magis quam Platonem secuti unamquamque indigentiam malum esse putabant (de Antisthene v. Xen. conv. 3, 8). Diogeni quidem nemo nisi pravus homo cupiditatum servus esse videbatur. Bion autem Borysthenites pecuniae aviditatem matrem omnis nequitiae ac turpitudinis dixit (Stob. flor. 10, 381. p. 237, 2 M.) Stoici Cynicorum vestigiis ingressi quicumque cupiditatibus indulgeat, peccare arbitrabantur, (Plut. virt. mor. p. 449 D. de cup. div. p. 524 E.) velut Cleanthes rogatus quo modo quis dives esset, respondit si cupiditatum inops esset. 'non esse cupidum pecunia est'. (Cic. parad. 6, 51.) 'qui igitur non filias plures, sed innumerabiles cupiditates habet, quae brevi tempore maximas copias exhaurire possint, hunc quo modo ego appellabo divitem, cum ipse egere se sentiat?' (ibid. 44.) denique legas quaeso Sen. ep. 94, 7, quo loco verba, quae in fine Eryxiae leguntur, quasi in Latinum conversa sunt: 'ostendas illi miserrimos divites.'

Cynicorum vel Stoicorum vestigia colligimus in Eryx. p. 398 A et p. 402 A, quibus locis divitias malum esse negatur, si bonum quibusdam videatur, neque fieri posse, ut eadem res ad idem opus modo utile modo inutile sit. ea neque Socratis (cf. Xen. mem. III, 8, 4—7. IV, 2, 32) neque Platonis (cf. Prot. p. 333 E. legg. p. 661 C D) sententia est, quibus eadem res et

mala et bona videtur esse posse, prout bonis hominibus utilis aut inutilis sit. atque secum ipse auctor Eryxiae pugnat dicens *οὔτε καλά τε καὶ αἰσχρὰ πᾶσι τὰ αὐτά, ἀλλ' ἕτερα ἑτέροις* (p. 400 C). haec verba similia sunt eis quae veteres sophistae docuerunt, quorum iudicium receperunt Pyrrho et Timo: *ὅτι οὔτε ἀγαθόν τι ἔστι φύσει οὔτε κακόν, ἀλλὰ πρὸς ἀνθρώπων ταῦτα νόμωι κέκριται* (Sext. Emp. adv. math. XI, 140. cf. Wachsmuth sillogr. Gr. p. 24). aliter vero Antisthenes de hac re sentit, cuius hic versus fertur (Plut. quom. adul. poetas audire debeat p. 33 C).

αἰσχρὸν τό γ' αἰσχρόν, κἂν δοκῆι κἂν μὴ δοκῆι.

item Stoici fieri posse negabant, ut eadem res bona et mala, utilis et inutilis, appetenda et fugienda sit. (Cebet. tab. c. 37), id quod prioribus illis locis Eryxiae legimus.

ea quae in Eryxia p. 396 E de obsequio in leges et adulterio dicuntur, quamquam Platonis sententiae non sunt contraria, tamen praeceptis Stoicorum similia sunt.[1]) quibus placet *φύσει τὸ δίκαιον εἶναι καὶ μὴ θέσει, ὡς καὶ τὸν νόμον καὶ τόν ὀρθὸν λόγον καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῶι περὶ τοῦ καλοῦ.* iidem *ἐκκλίνουσι τὸ μοιχεύειν διὰ τὸ κοινωνικὸν καὶ ⟨διὰ τὸ⟩ παρὰ φύσιν εἶναι τῶι λογικῶι ζώωι νοθεύειν τὴν ὑπὸ τῶν νόμων ἑτέρωι προκαταληφθεῖσαν γυναῖκα καὶ φθείρειν τὸν ἄλλου ἀνθρώπου οἶκον* (Usener Epic. fr. 535). eandem ratiocinationem Epicuri fuisse testatur Diog. L. X, 118: *γυναικί τε* (sc. *δοκεῖ Ἐπικούρωι*) *οὐ μιγήσεσθαι τὸν σοφὸν ἧι οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσιν.* denique simillima est huic loco Eryxiae sententia Epicurea (stud. Vind. X, p. 195 n. 51): *πυνθάνομαί σου τὴν κατὰ σάρκα κίνησιν*

1) Antisthenes autem dicit sapientem non secundum leges quae ab hominibus constitutae sint, vivere, sed secundum suam virtutem. cf. Zeller II, 1 p. 324 sqq.

ἀφθονώτερον διακεῖσθαι, πρὸς τὴν ἀφροδισίων ἔντευξιν. σὺ δὲ ὅταν μήτε τοὺς νόμους καταλύηις μήτε τὰ καλῶς ἔθη κείμενα κινῆις μήτε τῶν πλησίον τινὰ λυπῆις μήτε τὰ ἀναγκαῖα ἀναλίσκηις, χρῶι ὡς βούλει τῆι σαυτοῦ προαιρέσει. Epicurum igitur de adulterio vitando idem praecepisse quod Stoici constat; tamen dignum est quod non neglegatur quod illae sententiae Epicureae a Stoico quodam collectae sunt (cf. Usener l. c.), certe propterea quod suae opinioni non erant contrariae.

iam nonnulla de verbis dicenda sunt quae legimus in Eryx. p. 396 B: *οἱ γοῦν πατέρες τουτὶ πρῶτον τοῖς σφετέροις υἱέσι παραινοῦσιν, ἐπειδὰν εἰς τὴν ἡλικίαν τάχιστα ἀφίκωνται τοῦ ἤδη φρονεῖν, ὡς δοκοῦσι, σκοπεῖν ὁπόθεν πλούσιοι ἔσονται, ὡς, ἂν μέν τι ἔχηις, ἄξιός του εἶ, ἐὰν δὲ μή, οὐδενός.* cui haec legenti Aristodami Spartiatae verborum (Alcaei fr. 49) in mentem non venit *χρήματ' ἀνήρ, πενιχρὸς δ' οὐδεὶς πέλετ' ἔσλος οὐδὲ τίμιος*?

simile est, quod nunc in Bacch. carm. IX, v. 49—51 legimus:

οἶδα καὶ πλούτου μεγάλαν δύνασιν,
ἃ καὶ τὸν ἀχρεῖον τίθησι,
χρηστόν.

hanc sententiam Graecis sensim in proverbii consuetudinem venisse ostendit Eryxiae locus, cui addas Plut. de cup. div. p. 526 C: *ταῦτα γάρ ἐστιν ἃ παραινοῦσι καὶ διδάσκουσι· κέρδαινε καὶ φείδου, καὶ τοσούτου νόμιζε σεαυτὸν ἄξιον ὅσον ἂν ἔχηις.*[1]) idem prorsus Bionem de divitiis sensisse Heinzius[2]) ex Stob.

1) Plato quidem postulat, ut a parentibus non divitiae liberis relinquantur, sed honestas et boni mores. cf. supra p. 27.

2) de Horatio Bionis imitatore. Diss. Bonn. 1889, p. 19.

flor. 91,32 (III, p. 176, 25 M.) collegit: Βίων ἔλεγεν ὥσπερ τὰ φαῦλα τῶν βαλαντίων κἂν μηδενὸς ᾖ ἄξια, τοσούτου ἐστὶν ἄξια ὅσον ἐν ἑαυτοῖς τὸ νόμισμα ἔχουσιν, οὕτω καὶ τῶν πλουσίων τοὺς οὐδενὸς ἀξίους καρποῦσθαι τὰς ἀξίας ὧν κέκτηνται. illud proverbium Romanos a Graecis recepisse ex Lucili v. 1066 L. cognoscimus:

'aurum atque ambitio specimen virtutis virique est:
tantum habeas, tantum ipse sies tantique habearis.'

huc adde Horati versum (sat. I, 1,62):

'nil satis est, inquit, quia tanti quantum habeas, sis.'

similitudinem quae inter Bionem et Horatium intercedit, Heinzius animadvertit. mihi quidem consensus Eryxiae cum Bione valde notabilis esse videtur.

subsistamus hoc loco atque quae adhuc disputavimus, breviter comprehendamus. nemini dubium esse puto, quin scriptor Eryxiae Cynicorum et Stoicorum praecepta secutus sit, indeque suarum opinionum argumenta petiverit. tamen eum non diligentem in imitando fuisse inde cognoscimus quod aliud de bona valetudine sentit aliud de divitiis, cum Stoici de utraque re eodem iudicio utantur. illos enim sanitatem non pluris aestimasse quam divitias locis supra adlatis intellegimus, cum is qui Eryxiam conscripsit, etiam opibus regis Persarum bonam valetudinem anteponat (p. 393 C. 397 A. 405 D.), quae opinio vulgaris est et Platonis et Stoicorum posterioris aetatis (cf. Cic. de off. II, 88).

multa autem in Eryxia invenimus quae ex Platonis Xenophontis aliorum scriptis sumpta sunt. sed priusquam in hanc rem inquiramus, ea quae in c. 4 explicantur, necesse est interpretemur.

non est mirum, si beatitudo pretiosissima dicitur (p. 393 E) cum eam esse finem totius vitae humanae

inde a Socrate inter omnes philosophos constaret.[1]) sed memorabile est quod ea res Socrati esse maximi pretii videtur, quae efficit, ut quis et suis et amicorum rebus optime consulere possit (p. 394 E). illud inde a sophistarum aetate tritissimum est. Protagoras quidem se docere profitetur eam artem, quam Graeci εὐβουλίαν vocant (Plat. Prot. p. 318 E: τὸ δὲ μάθημά ἐστιν εὐβουλία περί τε τῶν οἰκείων ὅπως ἂν ἄριστα τὴν αὑτοῦ οἰκίαν διοικοῖ, καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως ὅπως κτλ. (cf. Men. p. 91 A). Isocrates autem saepius Anthisthenem et sectatores eius impugnat, qui philosophari sibi videantur neque ea discant exerceantque ἐξ ὧν καὶ τὸν ἴδιον οἶκον καὶ τὰ κοινὰ τὰ τῆς πόλεως καλῶς διοικήσουσιν, ὧν περ ἕνεκα καὶ πονητέον καὶ φιλοσοφητέον καὶ πάντα πρακτέον ἐστι (or. 15, 285. cf. 13,3). apud Aristotelem autem (eth. Nicom. VI, 1141^b 8) haec legimus: ἡ δὲ φρόνησις περὶ τὰ ἀνθρώπινα καὶ περὶ ὧν ἔστι βουλεύεσθαι· τοῦ γὰρ φρονίμου μάλιστα τοῦτ' ἔργον εἶναί φαμεν τὸ εὖ βουλεύεσθαι. Chrysippus vero illam εὐβουλίαν ita definit, ut scientia sit τοῦ σκοπεῖσθαι ποῖα καὶ πῶς πράττοντες πράξομεν συμφερόντως (Diog. L. VII, 93. Stob. II, p. 60,24 W.). denique legamus Ps.-Aristot. de virt. (Stob. III, p. 140, 1 W.): ἔργα δὲ τῆς φρονήσεώς ἐστι τὸ εὖ βουλεύεσθαι, τὸ ⟨εὖ⟩ κρῖναι τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ καὶ πάντα τὰ ἐν τῶι βίωι αἱρετὰ καὶ φευκτά[2]). quae ratio inter

[1]) de Cynicis v. Diog. L. VI, 11. de Stoicis Diog. L VII, 127. Zeno frg. 125. P. de Epicuro Sext. Emp. adv. math. XI, 169. — Plato aliter definit felicitatem ac scriptor Eryxiae. dicit felices esse τοὺς τἀγαθὰ καὶ καλὰ κεκτημένους (conviv. p. 202 C) et κτήσει ἀγαθῶν οἱ εὐδαίμονες εὐδαίμονες (ibid. p. 240 E). quae illa bona sint, cognoscimus ex Gorg. p. 508 B: δικαιοσύνης καὶ σωφροσύνης κτήσει εὐδαίμονες οἱ εὐδαίμονες, κακίας δὲ οἱ ἄθλιοι ἄθλιοι. v. de rep. I p. 353 A.

[2]) haec ex Ps.-Aristotele sumpsisse Ps.-Andronicum de affectibus 4,3 probavit Schuchhardt: Andronici Rhodii qui fertur libelli περὶ παθῶν pars altera de virtutibus et vitiis. Diss. Heidelb. Darmstadt 1883. p. 49.

bene consulendum et beatitudinem intercedat, Aristoteles (eth. Nic. II, 1140ᵃ 25) nos docet: *δοκεῖ δὴ φρονίμου εἶναι τὸ δύνασθαι καλῶς βουλεύσασθαι περὶ τὰ αὑτῶι ἀγαθὰ καὶ συμφέροντα, οὐ κατὰ μέρος, οἷον πρὸς ὑγίειαν ἢ ἰσχὺν ἀλλὰ ποῖα πρὸς τὸ εὖ ζῆν.* iam vero illi verbo *εὖ πράττειν* duae notiones insunt et bene agendi et bene valendi, quas inter se discernens Aristoteles alteram dicit *ευ ζῆν* alteram *εὖ πράττειν* (eth. Nic. 1095ᵃ 19). plerumque illud *εὖ πράττειν* significat bene valere; saepius tamen recte agere velut apud Andoc. de red. § 5. 6[1]) cui nunc addi potest Bacchyl. carm. 3, 94. 5, 190. eodem modo autem *εὖ πράττειν* primum significat bene valere, deinde recte agere.

nunc persequamur ea quae scriptor Eryxiae a lectione Platonis et Xenophontis petita in usum suum convertit.

fortasse mirum videtur si id quod maioris pretii est, quam bona valetudo quae ipsa multo pluris opibus regis Persarum[2]) aestimanda est, summum bonum dicitur. sed quis nescit scolium illud:

ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῶι,
δεύτερον δὲ φυὰν καλὸν γενέσθαι,
τὸ τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως,
τέταρτον δὲ ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων (schol. Plat. Gorg. p. 451 E)?

iam ut hanc argumentationem intellegamus, legamus Euthydemum Platonis dialogum, (p. 279 sqq.) quocum similitudinem quandam Eryxiae esse etiam Dümmlerus statuit (Akademika Gissae 1889 p. 274). Socrati bona enumeranti obversatur scolium supra commemoratum; pro illo *ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων* ponit *τἆλλα κατὰ τὸ σῶμα ἱκανῶς παρεσκευάσθαι.* postremo virtutis quam

[1]) cf. Schmidt: Ethik I p. 368 sqq.

[2]) divitias regis Persarum Graecis in proverbio fuisse cognoscimus etiam ex Xen. conviv. 3,13. 4,11.

Graeci *εὐτυχίαν* vocant mentio fit, quam vel pessimi summum bonum dicunt. (p. 279 D). pro ea in Eryxia *εὐδαιμονία* ponitur (p. 393 E) quae Erasistrato omnium rerum pretiosissima videtur. disputatio autem quam in Eryxia invenimus, Euthydemi loco tam similis est, ut non inutile mihi videatur, ambos inter se opponere:

ἡ σοφία ἄρα πανταχοῦ εὐτυχεῖν ποιεῖ τοὺς ἀνθρώπους. οὐ γὰρ δήπου ἁμαρτάνοι γ' ἄν ποτέ τις σοφίαι, ἀλλ' ἀνάγκη ὀρθῶς πράττειν καὶ τυγχάνειν. ἦ γὰρ ἂν οὐκέτι σοφία εἴη. (Euthyd. p. 280 A)	*οὐκοῦν ἂν οὗτοι ἄριστα πράττοιεν, ὅσοι περ καὶ ἐλάχιστα ἐξαμαρτάνοιεν — τὰ δέ πλεῖστα κατορθοῖεν. . . . . οὗτοι ἂν ὀρθότατα πράττοιεν καὶ ἐλάχιστα ἐξαμαρτάνοιεν.* (Eryx. p. 393 E.)

ut scriptor Eryxiae felicitatem idem esse quod sapientia dicit, ita Platoni sapientia *εὐτυχία* quaedam videtur esse. non minus similis est alteri Euthydemi loco (p. 280 D sqq.) alia pars Eryxiae (p. 395 A — 399 A) qua ostenditur divitias bonum esse eis qui recte utantur, malum qui uti nesciant. idem in Euthydemo legimus; qui divitias ceteraque bona habeat, eum felicem esse, si eis utatur; sed non solum bona habere et uti ad beatitudinem satis est, sed etiam recte eis utendum est. quod efficit sapientia: *ὄφελός τι τῶν ἄλλων κτημάτων ἄνευ φρονήσεως καὶ σοφίας;* *κτλ.* imprimis has argumentationes comparemus, quae simillimae sunt;

Euthyd. p. 281 B[1]):	Eryx. p. 397 A:
ἆρά γέ ἂν ὄναιτο ἄνθρωπος πολλὰ κεκτημένος καὶ πολλὰ πράττων νοῦν μὴ ἔχων ἢ μᾶλλον ὀλίγα	*εἰ μὲν πλούσιος τυγχάνοι ὢν καὶ ἀργύριον δυνατὸς ἀναλῶσαι ὁ ἀδικός τε καὶ ὁ βουλόμενος, ἐξαμαρτάνοι*

[1]) idem Plato docet in Men. p. 87—88. 97 C.

νοῦν ἔχων; ὧδε δὲ σκόπει· οὐκ ἐλάττω πράττων ἐλάττω ἂν ἐξαμαρτάνοι, ἐλάττω δὲ ἁμαρτάνων ἧττον ἂν κακῶς πράττοι, ἧττον κακῶς πράττων ἄθλιος ἧττον ἂν εἴη; πάνυ γ' ἔφη. πότερον οὖν ἂν μᾶλλον ἐλάττω τις πράττοι πένης ὢν ἢ πλούσιος; πένης, ἔφη.	*ἄν· εἰ δέ γε μὴ ὑπάρχοι πλουσίωι εἶναι τῶι ἀνθρώπωι οὐκ ἔχων ὁπόθεν ἀναλίσκων, οὐδ' ἂν διαπράττεσθαι δύναιτο ἃ βούλεται ὥστ' οὐκ ἂν ἐξαμαρτάνοι. διὸ καὶ λυσιτελοῖ ἂν τῶι ἀνθρώπωι μᾶλλον μὴ εἶναι πλουσίωι κτλ.*

etiam disputatio quae sequitur (p. 281 D E) qua Socrates illa bona eis, qui recte uti nesciant, mala esse, huic loco Eryxiae similis est. si quis tamen dubitet, num is qui Eryxiam conscripsit, Euthydemum imitatus sit, omnis dubitatio eximetur, si Eryx. p. 397 C cum Euthyd. p. 288 B contulerit; quibus locis Socrates ut ordo sermonis servetur, curat ne certamen inter eos qui conlocuntur, oriatur; in utroque autem dialogi fere eadem verba exstant:

Euthyd. p. 288 B:	Eryx. p. 397 C:
εὐλαβούμενος μὴ λοιδορία γένηται.	*εὐλαβούμενος μὴ πορρωτέρω τις λοιδορία καὶ ἐναντίωσις γένοιτο.*

quomodo autem auctor Eryxiae a Platonis sententia discrepet, supra (p. 28) demonstravi; hic sapientiam maximum bonum esse existimat, ille bonum solum.

illa verba quibus Socrates in sophistas invehitur (Eryx. p. 395 A—C) cui non revocant in memoriam Euthydemum et Dionysodorum, qui fallaciis quibusdam adversarium refutare atque sententias suas quamvis inter se contrarias probare student? similem in modum autem quo in Eryxia sophistarum studium in Phaedone p. 90 C describitur his verbis: *οἱ περὶ τοὺς ἀντιλογικοὺς λόγους διατρίψαντες οἶ τελευτῶντες οἴονται σοφώτατοι γεγονέναι τε καὶ κατανενοηκέναι ὅτι οὔτε τῶν πραγμάτων οὐδενὸς οὐδὲν ὑγιὲς οὐδὲ βέβαιον οὔτε τῶν λόγων, ἀλλὰ*

πάντα τὰ ὄντα ἀτεχνῶς ὥσπερ ἐν Εὐρίπωι ἄνω καὶ κάτω στρέφεται καὶ χρόνον οὐδένα ἐν οὐδενὶ μένει.

eam argumentationem quae c. 20 et 21 continetur, scriptorem Eryxiae ex Phaedone (p. 66 C D) sumpsisse mihi veri simillimum est. sane mirum non est, si medicinae esse corporis morbos curare dicitur (p. 401 B), cum Platonis opinione sit *τῆς ἰατρικῆς ἔργον . . . . τὴν ὑγίειαν παρέχεσθαι* (Euthyd. p. 291 E), quod munus duplex esse Philo Larissaeus nos docet (Stob. II p. 40, 11 W): *ὡς γὰρ ἰατροῦ . . . . τὸ προσάγειν ἐστὶ τὰ θεραπευτικὰ τὰ μὲν τῶι προεκκομίσαι τὰ νοσοποιὰ τῶν αἰτιῶν, τὰ δὲ τῶι τὰ παρασκευαστικὰ τῆς ὑγιείας ἐνθεῖναι οὕτως αὖ κτλ* (cf. Cebet. tab. c. 19). tamen non offendor quod medicina ars morbos amovendi definitur. sed ex hac comparatione divitiarum cum medicina colligitur divitias utiles esse ad cupiditates levandas. suntne ad hoc solum utiles? simillima autem huic argumentationi, quam in Eryxia invenimus, ea sunt quae in Phaedone dialogo exposita sunt: *καὶ γὰρ πολέμους . . . . οὐδὲν ἄλλο παρέχει ἢ τὸ σῶμα καὶ αἱ τούτου ἐπιθυμίαι. διὰ γὰρ τὴν τῶν χρημάτων κτῆσιν πάντες οἱ πόλεμοι ἡμῖν γίγνονται· τὰ δὲ χρήματα ἀναγκαζόμεθα κτᾶσθαι διὰ τὸ σῶμα, δουλεύοντες τῆι τούτου θεραπείαι.* bis in Eryxia *ἡ τῶν χρημάτων κτῆσις* commemoratur, (p. 401 B et 401 E) cum ceteris locis *τὰ χρήματα* tantum dicatur. cur non dicitur *πρός τί εὕρηται τὰ χρήματα* et *εἰ δ' ἔστιν ἄρα πρὸς τοῦτο χρήσιμα τὰ χρήματα* ut ceteris locis? mihi quidem auctor dialogi bis verba *ἡ τῶν χρημάτων κτῆσις* pro verbis *τὰ χρήματα* posuisse videtur, quia in hac disputatione scribenda ille locus Phaedonis animo eius obversatus est.

transeamus nunc ad aliam rem. sophistice quidem dicitur (p. 405 A) fieri non posse ut scientia ei contingat, in quo ante inscientia non fuerit, et bona valetudo, in quo non morbus, et virtus in quo non

vitium. quo modo factum est ut auctor Eryxiae ad hanc ratiocinationem descenderit? legenti haec mihi in mentem venit dialogi qui inscribitur Protagoras (p. 345 A B), in quo Socrates Simonidis scolium interpretatur. et hoc loco de quo agimus, probare vult neminem semper bonum esse posse, sed fieri tantum. virum malum autem numquam malum fieri posse, nam semper malum esse, sed ante eum bonum fuisse oportere, eandem esse boni viri rationem. scriptor autem Eryxiae eo stultitiae progressus est, ut idem quod Plato de virtute dicat de scientia et sanitate. at non dico scriptorem Eryxiae illam argumentationem a Protagora petivisse, sed fortasse ex suo ingenio sophistice scripsit.

iam vero nonnulla in Eryxia legimus quae inde a Socraticorum philosophorum aetate trita pervulgataque erant. illud quod Socrates contra Erasistratum dubitantem num sapientia summum bonum sit, dicit simile esse loco apologiae Platonis iam supra p. 21 demonstravimus. plura in Eryxia invenimus quibus maxima similitudo cum Xenophontis quibusdam disputationibus est, velut ea quae in c. 6 legimus. Erasistratus enim Socrati dicenti sapientissimos etiam ditissimos esse, respondet quid prosit sapientiorem Nestore esse, si cibus potus cetera desint, quae corpori necessaria sint. fere eadem contra Socratem Aristippum proferentem facit Xen. mem. II, 1, 17: *ἀλλὰ γὰρ ὦ Σώκρατες, οἱ εἰς τὴν βασιλικὴν τέχνην παιδευόμενοι, ἣν δοκεῖς μοι σὺ νομίζειν εὐδαιμονίαν εἶναι. τί διαφέρουσι τῶν ἐξ ἀνάγκης κακοπαθούντων, εἴ γε πεινήσουσι καὶ διψήσουσι καὶ ῥιγώσουσι καί ἀγρυπνήσουσι καὶ τἆλλα πάντα μοχθήσουσιν ἑκόντες;*

Socrates quamquam Erasistratum refutavit, tamen Eryxiae non probavit sapientes esse ditissimos. (c. 7.) nam qui fieri potest ut Socrates quamvis sapiens sit, ditior sit quam Callias Hipponici filius? Calliae divitias

semper Graecis in proverbio fuisse testes sunt Teles (p. 36/7 H.) et Plutarchus de cup. div. p. 527 B; iam vero Socratem quamquam pauper erat, tamen divitiis suis gloriatum esse eodem modo quo in Eryxiae (p.395A) tradit Xenophon (oec. 2, 2), quem locum cum Eryxiae optime conferre possumus. idem fecit Aeschines, ut supra diximus, atque Anthisthenes quamvis egenus esset, non minus dives esse sibi videbatur quam Callias (Xen. conv. 3, 8. 4, 37. cf. Cic. parad. 6, 42. 44).

denique quae cap. 23 et 24 explicantur tam similia sunt Xenophontis libro qui inscribitur oeconomicus, ut non dubitem quin scriptor Erxyiae in hac disputatione conscribenda Xenophontem secutus sit. primum enim opes fere eodem modo in duobus dialogis definiuntur:

Xen. oec. I, 7:	Eryx. p. 400 E:
σὺ δ' ἔοικας τὰ ἑκάστωι ὠφέλιμα κτήματα καλεῖν· πάνυ μὲν οὖν, ἔφη· τὰ δέ γε βλάπτοντα ζημίαν ἔγωγε νομίζω μᾶλλον ἢ χρήματα et ibid. I, 9: *σὺ ἄρα, ὥς ἔοικε, τὰ μὲν ὠφελοῦντα χρήματα ἡγεῖ, τὰ δὲ βλάπτοντα οὐ χρήματα. οὕτω.*	*ὅσα μὲν ἄρα τυγχάνει χρήσιμα ὄντα ἡμῖν, ταῦτα χρήματα. ὅσα ἀχρεῖα, ταῦτα δ' οὐ χρήματα.*

Xenophon his locis eadem significatione verbis *κτήματα* et *χρήματα* utitur, pro verbo *χρήσιμα* ponit *ὠφελοῦντα*, cum auctor Eryxia semper ludens in verbis *χρήματα χρήσιμα ἄχρηστα χρῆσθαι χρῆσις χρεία ἀχρεῖα* (imprimis p. 401 B) semper *χρήματα* ponat. tamen uno loco (p. 400 C) *κτήματα* non *χρήματα* invenimus, quod fortasse scripsit, quia ei ante oculos oeconomici locus obversabatur. etiam inutiles lapides in utroque dialogo exempli causa posita sunt (oec. I, 10. Eryx. p. 400 D). equos autem non utiles esse nisi ei qui uti sciat,

in duobus scriptis explicatur. quae disputatio ad eundem finem in Eryxia pervenit ad quem in oeconomico (cf. oec. I, 10. Eryx. p. 403 B); denique idem quod ad equos pertineat, de auro argentoque dici posse in oeconomico quoque legimus (I, 12 sqq.).

fortasse mireris quod ei qui opibus uti sciant, *καλοὶ κἀγαθοὶ* appellantur, (p. 403 B) ut p. 397 E. nam scriptori Eryxiae *σοφοί* iidem sunt qui *καλοὶ κἀγαθοί*. eodem modo Socrates eos quibus scientia rerum de quibus disputavit, esset, *καλοὺς κἀγαθούς* esse putavit (cf. mem. I, 1, 16. ibid. III, 9, 5: *καὶ τὰ καλά τε ἀγαθὰ τοὺς μὲν σοφοὺς πράττειν*). sed dubito num auctor Eryxiae hac in re Xenophontem secutus sit; nam quid est quod a Graecis saepius sermone usurpatur quam *καλὸς κἀγαθός*?

---

haec habui quae de doctrina dicerem quae Eryxia continetur. si ea quae disputavimus, circumspiciemus, non dubitabimus, quin dialogus non ante tertium saeculum conscriptus sit; quae res gymnasiarchia quoque p. 399 A commemorata comprobatur. nam quin gymnasiarchus ille qui Prodicum e gymnasio eicit, praefectus gymnasii sit, dubitari minime posse mihi videtur. gymnasiarchiam vero initio liturgiam non magistratum fuisse, Boeckhius [1]) et Dittenbergerius [2]) tam dilucide ostenderunt, ut rem de integro exponere supersedeam. constat enim quinto et quarto saeculis a Chr. n. gymnasiarchiam Atheniensium fuisse liturgiam (cf. Ps.-Xen. de re publ. Ath. I, 13. Andoc. I, 132. Isocr. 16, 35. Lys. 21. Is. 6, 60. Xen. oec. 2, 6. de vect. 4, 52. Aristot. polit. η, 8. 1309^{a} S)

[1]) C. J. G. n 202. Staatshaushaltung der Athener. I³. p. 548 sqq.

[2]) De ephebis Atticis. Diss. Gott. 1863. p. 40 sqq.

quae etim *λαμπαδαρχία* vocabatur. post Aristotelis aetatem gymnasiarchiam ex liturgia magistratum factam esse cognoscimus ex Ps. — Plat. Axioch. p. 366 D et Telet. p. 39, 1 sqq. H. [3])

[3]) cf. Wilamowitz Arist. u. Athen. I, p. 191 sqq.

Vita.

Natus sum Otto Eduard Friedrich Schrohl in oppido Pomerano, cui nomen est Naugard, anno MDCCCLXXVI a. d. XIII. kal. April. patre Eduardo, matre Bertha e gente Schmidt, quos superstites esse gaudeo. fidei addictus sum Christianorum, confessioni evangelicae. elementis litterarum in schola Naugardensi imbutus vere anni MDCCCXC receptus sum inter alumnos gymnasii urbani Sedinensis, quod auspiciis Hugonis Lemcke etiamnunc floret; qui quam bene de me meritus sit, nunquam obliviscar. autumno anni MDCCCXCIV maturitatis testimonio instructus Gryphiam me contuli ut studiis philologicis me darem; post duo semestria Gottingam migravi. docuerunt me v. d. Bernheim, Credner, Gercke, Koschwitz, de Nathusius, Norden, Pernice, Reifferscheid, Seeck, Susemihl Gryphienses; Baumann, Bonwetsch, Bousset, Busolt, Dilthey, Kaibel, Knoke, Leo, W. Meyer, G. E. Müller, Schaeder, Schulze, Schürer, Stimming, Vischer, Wiesinger, de Wilamowitz-Moellendorff Gottingenses. sodalis fui proseminarii Gryphiensis unum semestre, Gottingensis alterum unum; sodalis seminarii Gottingensis quinque semestria. ad exercitationes grammaticas Schulze, ad palaeographicas Meyer, ad archaeologicas Dilthey, ad historicas Busolt benigne me admiserunt; exercitationibus ad quosdam libros Novi Testamenti interpretandos spectantibus ut interessem Schürer mihi permisit. quibus viris doctissimis omnibus iustas ac debitas gratias ago semperque habebo.